gerit de imagine. Alia enim imago dei, alia imago mundi. Unde et ille
nos admonet: sicut portavimus imaginem terreni illius, portemus et imagi
nem huius celestis. Imaginem cesaris non habet christus, qui imago est dei. Imaginem
cesaris non habet petrus, qui dixit: reliquimus omnia et secuti sumus te. Imago cesa
ris non reperitur in iacobo vel iohanne, qui filii tonitrui sunt; sed reperitur in mari.
Ubi dracones illi contritis capitibus super aquam, et ipse draco maior cui comminu
tum caput datum in escam populis ethyopum. Si ergo non habuit imaginem cesa
ris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mundo quod erat
mundi. Et tu si vis non esse obnoxius cesari, noli habere que mundi sunt. Sed ha
bes divitias, obnoxius es cesari. Si vis nichil regi debere terreno, relinque
omnia et sequere christum. Et bene prius que cesaris sunt reddenda decernit; neque
enim potest esse quis domini, nisi prius renuntiaverit mundo. Sed omnes renuntiamus
verbis, non renuntiamus affectu. Nam cum sacramenta suscipimus, renuntiamus.
Quam gravia vincula promittere deo et non solvere! Melius est inquit non vovere, quam
vovere et non reddere. Maior est contractus fidei quam pecunie. Redde promissum
dum in hoc corpore es, priusquam veniat exactor et mittat te in carcerem.
Amen dico tibi non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.

SI FRATER alicuius mortuus fuerit. LXXXIII.
Saducei hoc est detestabilior portio iudeorum, hoc dominum
loco temptaverunt, quorum apte stulticia reprehenditur. Mysti
ce autem sententia retorquetur, que de se dederunt castitatis exemplum, cum
secundum litteram nubere cogitur et invita, ut defuncti semen excitet fratris.
Ergo littera occidit quasi lena vitiorum, spiritus autem magister est castitatis.
Itaque videamus ne hec mulier synagoga sit, que vii viros habuit,
sicut samaritane dictum est: v enim viros habuisti, quia hec samaritana
quinque tantum libros moysi, synagoga vii sequitur principaliter, et de nul
lo semper perfidiam suam hereditarie posteritatis semen accepit. Et ideo par
tem cum viris suis in resurrectione habere non poterit, quia spiritale pre
cium secundum sensum carnis invenitur. Non enim frater carnalis aliquis enun
tiatus est qui semen fratris resuscitaret defuncti, sed frater ille qui de mor